

www.e-rara.ch

Theses philosophicae de universalibus & singularibus in genere

Kisselbach, Heinrich

Basileae, [ca. 1645]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-19365>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

THESES PHILOSOPHICÆ
De
UNIVERSALIBUS
&
SINGULARIBUS
IN GENERE.

Quas,
Auspicante

DEO TRIUNO Ter Optimo Maximo,

Consentiente

SAPIENTISSIMO & AMPLISSIMO
*Almæ Universitatis Basileensis
Philosophorum Ordine,*

P R Æ S I D E

VIRO Præstantissimo ac Philosopho acutissimo,

D.M. HENRICO KISSELBACHIO,

Publicè ventilandas proponit

JOHAN. JACOBUS SANDOZIUS
Neocomensis.

Mense Martio, die 10 An. M DC XLV.

Horâ locoque solitis.

B A S I L E Æ,

Typis GEORGI DECKERI,
Academiæ Typographi.



V I R I S
NOBILISSIMIS, CLARISSIMIS
ac Prudentissimis

NOBILISSIMO

DN. DAVIDI FAVARGERIO, Serenissimi
& Illustris. Ducis de Longueville, &c.

Neocomi Præfecto, &c.

Agnato & Mæcenati suo plurimum
honorando.

DN. DAVIDI SANDOZIO, Ser. & Cel. suæ
Præfecto des Chaux, parenti æternum
Venerando.

DN. DANIELI SANDOZIO, } Fratribus
DN. BALTHASARO SANDOZIO, } Dilectis.

NEC NON

NOB. DN. SIMONI Merueilleux, }
NOB. DN. PHILIPPO Guy, } Avunculis
DN. JOH. JACOBO FAVARGERIO, } suis maxi-
NOB. DN. ISAACO Merueilleux, } mè colen-
DN. JOSUÆ WARNADO, } dis.

Hasce Studiorum suorum primitias

submissè & officiosè

offert, dicat, dedicat

Joh. Jacobus Sandozius.



Theses Metaphysico-Logicae.

DE UNIVERSALIBUS ET SINGULARIBUS IN GENERE.

THESIS I.

LABYRINTHUM universalium plus quàm Dædaleum ingressurus, ne multifariis sententiarum ambagibus, opinionumque occurribus seductum:

Me labyrinthis è flexibus egredientem

Dictorum frustretur inobservabilis error.

Ut ait ille Poëta. Sequenti ordine tanquam filo Ariadneo mihi exitum parabo. Primò universalium Etymon resolvam: primum enim, quod de re aliqua sciri dicitur, nominis prænotatione esse docet *Arist. 1. post. textu 2.* dicens, *alia sunt in quibus verbi significatio intelligenda est.* Secundò, quia nihil certi de aliqua re sciri potest, nisi omnis ambiguitas sublata sit, homonymias explicabo. Tertiò consilium Aristotelis secutus *lib. 2. post. cap. 1. t. 1.* inquiram, an sint universalia. Quartò, quid sint. Quintò, ubi sint. Et tunc demum, quomodo dividantur, & quibus proprietatibus afficiantur, examinabo. Tandem, quia opposita juxta se posita magis elucescunt, pauca quædam de singularium naturâ quoque delibabo. Quibus ordine pertractatis ultimum disputationi præsentī colophonem imponam. Faxit DEUS, ut omnia ad ipsius gloriam, ad nostram & omnium philomusorum utilitatem & commodum cedant.

II.

Jam ad rem accedamus. Universale à Græcis dicitur λόγος καθόλου, cujus vocis naturâ & significationem exprimit *Arist. lib. 2. post. 1. t. 1. cap. 4. t. 1. 1.* dicens, λέγω δὲ καθόλου μὲν, ὃ πρὶ πάντων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. Universale appello id, quod natum est ut multis attribuantur. Et in *Anal. post. 1. 1. cap. 4. t. 1. 1.* καθόλου ἔ λέγω, ὃ αὐτὸ καὶ πάντες ὡς ἀρχὴ καὶ κατ' αὐτὸ καὶ ἡ αὐτὸ. universale autem nuncupo id, quod ἔσθ' ὅτι inest subjecto, ἔσθ' ὅτι per se, ἔσθ' ὅτι quatenus subjectum

est tale. Ex quibus descriptionibus liquet, universale esse illud quod per modum totius de omnibus suis inferioribus prædicari potest. *Aristot. 1. post. cap. 4.* ubi dicit: *in omni id dicitur, quod ita in alterum cadit, ut nec sub illo genere partem ullam accipere possis, cui non conveniat: nec ullum tempus invenire, in quo de illo non dicatur, &c.*

III.

Nunc ambiguitates universalium tollamus. Sumitur igitur universale septem præcipuè modis: 1. pro universali in Essendo; quod multas veluti entitates & perfectiones continet *Stek. curs. Agon. exerc. 2. d. 1. 2.* in existendo; quod revera in rerum naturâ extra singularia existit, quale volunt agnovisse Platonem Ideamq; nuncupasse *Lorin. in Porphy. q. 1.* 3. in causando, quod ad multos effectus producendos aptum est; de quibus tamen non prædicatur, ut cælum *Barthol. in Met. major. c. de uno.* 4. in repræsentando, quod est conceptus, Intellectûs prout est similitudo illius rei quam repræsentat, ut species intelligibilis *D' Abra de Raconis tract. 1. log. de univers. sect. 1. 5.* In significando; & est vox multa significans, vel distributivè vel collectivè sumpta, ut vox homo & alii termini collectivi, *Tolet. in log. q. 1. de univers. 6.* In prædicando, quod aptum est de multis prædicari, seu quod de multis actu prædicatur *Eustach. tract. 2. q. 1. in Log.* 7. In distribuendo, quod est propositio universalis, ut est omnis & nullus, de quo agitur in libro de Interpretatione, *Combach. l. 1. Met. cap. 21. in theorem.* Nos tantum de universalibus in Essendo & prædicando nunc agemus.

IV.

Universale in Essendo primas teneat, quia fundamentum est omnis naturalis prædicationis. Sed quia de hoc magnum est dissidium inter Philosophos, cum illud quidam planè è medio tollere conentur, alii verò id ipsum sinistrè interpretentur: cum utrisque prius confligendum est. Primò itaq; in arenam provocamus *Occamum primâ parte Logice sue cap. 14. & 15.* & alibi sæpè, cum suis sequacibus, Heracliti & Cratili, Antisthenis, Epicureorum & quorundam aliorum novorû Academicorum opinionem ab orco revocantem, qui nullam rem prorsus communem & universalem, de quâ scientia esse posset, exceptis solis vocibus, agnoscere voluerunt. Iisq; opponimus primò *Arist.*

libro

libro de Interpret. cap. 7. dicentem rerum quasdam esse universales, quasdam singulares, &c. Item 1. post. cap. 2. ubi inquit, universalia esse notiora singularibus; & 7. Met. c. 13. ubi definit universale quod sit aliquid aptum inesse multis; quæ omnia de vocibus falsa sunt. Secundo pugnet pro nobis Anselmus l. de Incarnatione verbi cap. 2. Ubi dicit: *cautissimè ad sacre pagine quæstiones, Accedant, sunt monendi illi, utiq; nostri temporis Dialectici, qui quidem non nisi flatum vocis, putant esse universales substantias. Qui enim nondum intelligit, quomodo plures homines in specie sint unus homo: qualiter in illa secretissimâ & altissimâ naturâ comprehendet, quomodo plures persone, quarum singula quæq; est perfectus Deus, sint unus Deus.*

V.

Verum ne solis auctoritatibus dimicare videamur, ratio quoq; pro nobis militat. Quæro enim, quis sit sensus hujus propositionis, quando dico, Petrus est homo? Si terminus, homo, tantum vox est, nullam rem diversam à Petro significans, sensus erit; hæc vox, Petrus, est hæc vox, homo; Cujus falsitatem quis non videt? *Scal. exerc. 307. sect. 22.* Deinde: nunquid Petrus & Paulus in aliqua re conveniunt? non autem in singularitate, quia secundum hanc distinguuntur: Ergo in alia re distincta à singularitate. Quod autem conveniant, sole clariùs ostendunt eadem definitiones & proprietates, quæ de diversis Individuis prædicantur.

VI.

Universale ergo in Essendo non est nuda vox, nec vox ut significativa, nec conceptus mentis, nec relatio rationis. *Scalig. loco citato*; Sed res in rerum naturâ existens ante omnem intellectus operationem: *Aristot. 1. de æquiv. cap. 7. Item 1. post. t. 5. & alibi: Albert. tract. 2. in prædicabil. Angelus Thius in præcognita Porphy. Scaliger. loco citato.* Hoc theorema aded certum est, ut qui illud negat, omnem scientiam, & scientiarum certitudinem, illum è medio tollere oporteat, *Scal. loc. citato*, quod qui facit, quid aliud agit, quàm quod Philosophiam è fundamentis evertat? Nam scientia versatur tantum circa universalia: *Dominicus de Flandria 1. parte Met. q. 18. art. 3. Nyphus 7. Met. disp. 14. Thomas q. 1. de veritate art. 5.* Quorum essentia sola est immutabilis & æterna: *Arist. 1. post. c. 21. Lorin. q. 4. in Porphy.* Singularia

verò ab ea excluduntur, quia infinita, mutabilia, & corruptibilia: *D' Abra de Raconis tract. 1. de univ. q. 1. sect. 2. Ab Isendoorn cent. 2. cap. 3. de singul. effat. 32.* At fortè diceret aliquis universalia esse conceptus mentis, circa quos scientia occupatur. Infero: ergo nulla datur scientia realis, quia omnes circa conceptus mentis, qui sunt entia rationis, occupantur, quod in bona philosophia æquè absurdum est: *D' Abra de Racon. Met. part. 2. tract. 1. cap. 2. sect. 1. q. 1. Lorin. tract. de Scientia q. 5.* Nec hîc audiendi sunt, qui tale universale, Ideam Platoniam esse sibi imaginantur: nuda enim imaginatio est, nec intelligunt tales, universale tribus modis à philosophis usurpari: 1. pro universali $\omega\epsilon\tau\epsilon\ \mu\alpha\lambda\acute{\omega}\nu$; 2. pro universali $\epsilon\iota\ \mu\alpha\lambda\acute{\omega}\iota\varsigma$; 3. pro universali $\omega\delta\epsilon\ \tau\acute{\alpha}\ \mu\alpha\lambda\acute{\alpha}$, *Aristot. 2. l. post cap. ultimo. Item l. 7. Met. cap. 13. Combach. l. 1. cap. 21.* quorum primum tantùm à philosopho Idea Platonica dicitur, cætera verò nequaquam, licet illa, ad minus quoad secundum, in rerum naturâ reperi nō neget; cum quo & nos ad amussim consentimus, ut ex sequentibus theorematibus latius patebit.

VII.

Idea Platonica est natura universalis, re & ratione ab Individuo separata, & separatim extra singularia per se existens. *Scalig. loco sæpius citato: & recentiores communiter.* Talem naturam, ob rationes sequentes cum *Aristot. 7. Met. cap. 14. & alibi* negamus. Primò, quia talis natura esset singularis & non singularis, quod implicat contradictionem. Sit enim homo, verbi gratiâ, separatus à Petro & Paulo. Quæro, an iste homo reperiatur in Petro & Paulo, necne? Si non: Ergo non est idem cum Petro & Paulo, nec illis communis. Si reperitur, iterum quæro: An sit idem cum illis, vel ab illis diversus; si idem: Ergo Petrus & Paulus non sunt diversi homines, sed unus & idem homo: atq; sic erunt duo singularia & non erunt. Si diversus essentialiter: Ergo Petrus & Paulus non erunt idem homo essentialiter, sed diversi essentialiter homines: Ad quid ergo illa Idea? Plures rationes vide apud *Philosophum loco citato, & alibi.* An verò prædicta sententia Platonis fuerit, nolo certò affirmare, nec tamen etiam Aristoteli falsarii crimen impondere. Hoc scio, multos doctissimos Philosophos, nec non summos

mos quoq; primitivæ Ecclesiæ Patres, Platonis sententiam aliter interpretatos esse. Quod autem ajunt, eum per suam Ideam, Ideas in mente Divina existentes intellexisse, ut *Andr. Reyherus in Margarita Philosophica Met. p. 59. & alii*, nescio quo sensu salvari possit. Hoc sentio, nihil esse in Deo, quod non sit ipse Deus, *Alsted. l. 5. Met. cap. 14.* Ergo illæ Ideæ vel sunt ipse Deus, vel nihil. Sed nolo falcem meam in alienam messem mittere.

VIII.

Universale in Essendo est natura universalis, ante omne opus intellectus in rebus existens, communicata quidem actu uni soli inferiori, potentiâ tamen, quantum est de, communicabilis pluribus. *Scal. exer. 306. sect. 6. Timpl. Met. l. 1. cap. 3. q. 18. Alst. loco citato. Goclen. Isagoge in organ. Aristot. cap. 1. Reyherus loco citato.* Dicitur communicata: quia actu ad certum Individuum per Singularitatem contracta est. Dicitur communicabilis, ratione suæ indifferentiæ, quâ ex naturâ suâ indifferens est, ut sit in aliis: Sicut materia prima ex se indifferens est, ut sub quâcunque formâ possit existeret; quam indifferentiam retinet, etiam per unam certam formam determinata. Quam analogiam inter materiam & universale etiam agnoscunt *Kekermannus & Alstedius in phys. c. de mat. p.* Et hoc est illud universale, quod ab aliquibus vocatur *ὁ παλαιοίς*, ab aliis Physicum, ab aliis Metaphysicum, ab aliis fundamentale; Dari autem tale universale in rebus adeò necessariū est, ut illo sublato non solum omnes scientias & disciplinas, sed etiam omnia universalia Logica tolli necesse sit. Nam licet illa nihil aliud sint, quàm conceptus mentis, seu rationis Entia; non tamen meræ chimeræ sunt, nec planè conficta otiosæ mentis deliria: sed fundamentum habent in re: naturam scilicet conceptibilem, abstrahibilem & prædicabilem, à singularitate necessariò distinctam: quia ipsam singularitatem sic concipere, abstrahere, & prædicare *αδύνατον*. Tolle ergo fundamentum, & ipsam prædicabilitatem seu prædicationem sustuleris. An verò nostrum hoc universale, potius fundamētale, quàm formale, dicendum sit, questionem non magni momenti esse existimo. Respondeo tamen esse formale Physicum seu Metaphysicum; & fundamentale Logicum.

IX.

Nunc verò quia prædictum Universale ens est reale, & distinctum à principio Individuationis, omne verò ens est unum, quia ens & unum convertuntur, hanc naturam quoque esse unam oportet. Sed quâ unitate? Non singulari; quia ab eâ distinguitur: nec per eam aliquid communicabile esse potest, cum sit principium incommunicabilitatis: duo autem opposita eidem convenire nequeunt. Est ergo una unitate formali minore numerali; *Alstet. loc. cit.* quæ definitur, quòd sit unitas quâ natura universalis est indivisa in se, & divisa à qualibet aliâ naturâ universali sibi essentialiter simili, & in alio Individuo existenti, cujunque tamen alteri singulari ex se communicabilis. Ex quâ definitione liquet, tria esse muniâ hujus unitatis. Nam primò facit naturam in se indivisam, & in hoc convenit cum omni alia unitate. Secundò distinguit illam à quavis alia simili, non quidem essentialiter, seu (clarioris explicationis gratiâ) secundum diversa prædicata essentialia: sed formaliter tantum & Entitative, ita ut dicat tantum aliteratem Entitatis alicujus, alteri entitati in prædicatis Essentialibus non dissimilis; & per hoc differt ab unitate Genericâ & Specificâ, quâ genus & species essentialiter differunt ab aliis generibus & speciebus. Ex quibus quoque constat, hanc nostram unitatem non genericam nec specificam dicendam esse, nisi secundum alium respectû, quatenus scilicet ad alia entia sibi in Essentialibus prædicatis dissimilia simul comparatur. Tertiò admittit in naturâ indifferentiam seu communicabilitatem, quâ possit cuicunque alteri singulari, quantum est de se, communicari. Et ideo vocatur minor numerali, atque per hanc particulam à numerali distinguitur; quæ omnem omnino communicabilitatem realem excludit, ob quam causam etiam unitas maxima à Philosophis nominatur.

X.

His præsuppositis, definitionem Universalis in Essendo declaremus. Duplicem verò invenio definitionem Universalis apud Aristotelem. Unam 7. *Met. c. 13.* quæ sic habet.

Universale

*Universale est unum naturā, aptum inesse multis. Aliam de Interpret. cap. 7. universale est, quod de multis aptum est dici. Utraque quidem bona: sed prior Metaphysica seu Physica, altera Logica. Confunduntur quidem à quibusdam, & pro iisdem recipiuntur, sed malè: ultima enim universale à mente nostrā conceptum nobis tantū ob oculos ponit. Longè verò alius sensus est prioris, definitum enim illius est natura realis, primò potens inesse, divisim, tota, indivisa, cuicunque Individuo, & consequenter apta de multis prædicari: unde primam tantū hīc recipimus, aliam ad sequentē thesin rejicimus. *Suar.* aliam definitionem habet, quæ talis est. *Universale est, cujus entitas divisibilis est in plures entitates adequatè tales, qualis est ipsa: Vel universale dicitur, quod secundum unam aliquam rationem multis communicatur, seu in multis reperitur, i. Met. disp. 5. sect. 1.* Quæ, præter hoc, quod cum Aristotele coincidit, nostram quoque sententiam egregiè tuetur, explicat, atque confirmat.*

XII.

Atque hæc de universali in Essendo dicta sufficiant; nunc tempus est, ut de universali in prædicando pauca quoque proponamus. Sciendum autem, universale hoc duplex apud Aucthores reperiri, unum absolutum; aliud respectivum: Absolutum est natura abstracta ab inferioribus, & concepta ut quid unum extra multa existens, & liberum ab omnibus conditionibus individuantes, & multiplicabilis positivè, & prædicabilis distributivè de omnibus suis inferioribus *Alsted. Timpl. Gocl. locis citatis.* Respectivum, est comparatio actualis naturæ prædicto modo conceptæ, quæ per actum comparativum intellectus de suis inferioribus actu prædicatur. Et hæc sunt illa universalia, de quibus solis agit Porphyrius de prædicabilibus, & à quibusdam vocantur universalia *ὁμοῦ καὶ ἑκείνου*, ut à *Reyh.* loco citato, ab aliis propria, & propriissima, ab aliis Logica, &c. De his *Aristot.* 1. de anima t. 8. *Universale aut nihil est, aut posterius est.* Quod & nos libenter concedimus, & illa cum *Themistio* loco citato solius mentis fabricam esse non negamus. Illudque cum *Aristotele* definimus 1. de Interpret. cap. 7. quod sit unum aptum de multis prædicari; remotè, vel proximè, affirmativè,

univocè, divisim, ordinatè, & intrinsecè. Et sic conciliantur diversæ Philosophorum sententiæ: quorum quidam universale Logicum per simplicem, directam, & absolutam mentis abstractionem: Alii per actum intellectus reflexum vel comparativum fieri volunt. Illi enim de primo; hi de ultimo locuti sunt.

XII.

Restant proprietates universalium enumerandæ, quarum prima est, esse æterna & incorruptibilia: 2. Non esse hic & nunc sed semper & ubique. *Aristot. 1. post. cap. 4. t. 8.* 3. *Alst. loc. citato.* Esse objectum proprium Intellectus: 4. Esse subjectum scientiæ secundum *Aristot. 1. post. t. 43.* 5. Esse prædicabilia non in abstracto, sed in concreto tantum. 6. Esse secundum speciem in intellectu, secundum naturam in rebus. 7. Esse unum, sed diversimodè, secundum diversam acceptionem. 8. Partim esse substantias, partim accidentia. 9. Partim corporea partim incorporea, partim neutrū. 10. Partim sensibilia, partim insensibilia; Et tandem ultimò, posse esse in multis partim negativè, partim positivè.

XIII.

Haftenus de universali dictum. nunc de singulari aliquid dicendum: ac primò ejus ambiguitas declaranda; Singulare enim uno modo non dicitur 1. Pro Individuo signato accipitur, quod cum nomine proprio coincidit, ut *Jac. Rhodanus.* 2. Pro Demonstrativo, cum pronomen demonstrativum additur termino communi, ut hic *canis.* 3. Pro circumscripto ab officio vel alia re, ut *Trojanorum dux* pro *Æneâ.* 4. Pro Individuo ex hypothese, quando aliquid supponitur, ut *filius Mariæ* pro *Christo.* 5. Pro Individuo κατ' ἐξοχήν, per excellentiam, cum certum aliquem communi voce denotamus, ut *Philosophus* pro *Aristotele.* 6. Denique pro vago constante ex voce communi & signo particulari, ut *quidam homo;* quod ultimum quidam universale vocant, sed falsò, cum aliter descendamus sub universali, aliter sub Individuo vago. Singularis homonymiâ sublata ad definitionem accedamus, quam nobis suppeditat *Aristoteles 3. Met. cap. 4. t. 14.* Singulare est quod est unum numero; quâ unitate

tate sic est unum, in ut inferiora dividi nequeat, unde & Individuum appellatur.

XIV.

Circa hoc singulare duo in dubium revocari solent, primum, quænam sit illa unitas, quæ vocatur Individuationis principium; Alterum, num singularitas differat ab universali tanquam aliquod additum à naturâ universali distinctû, ac quoad primum, diversæ sunt philosophorum sententiæ: Thomas materiam suam signatam, id est, affectam quantitate ponit, quam, quia excludit Individua corporea, rejicimus. Porphyrius accidentia; quibus differre dicit Individua, sed quærimus essentialia principium, non accidentale: Scotus hæcceitatem ponit, per quam intelligit formam totius, quod est, esse essentia in abstracto consideratum; quam opinionem tanquam verissimam assumimus *Combach. l. 1. cap. 21.* Alterum an singulare differat ab universali ratione alicujus additi, partem affirmativum tuemur cum *Scoto 1. sent. dist. 18. & in 2. dist. q. 6.* Ubi dicit Universale & singulare non differre ut rem, sed secundum additum. Universale enim se habet, ut indeterminatum, singulare verò ut determinatum, hæcquæ singularis determinatio oritur ratione realitatis additæ, quoniam determinatio est ab alio; Et hoc additum non differt realiter ab universali, sed è naturâ rei.

XV.

Sunt quidam, quibus hæc doctrina usque ad eò non sapit, ut illam prorsus ex philosophiâ eliminatam vellent. Paucis dicam quod sentio. Universalia realia sunt in Philosophia, sicut sol in Cælo. Tolle solem ex cælo, & omnia sunt tenebræ: Sic Tolle universalia; quid erit Philosophia?

Nil nisi inane Chaos verborum, & cæca caligo.

Nam qui nescit, quid sint universalia realia, ille etiam nescit, quid sint notionalia sive prædicabilia: qui nescit prædicabilia, nescit prædicamenta: qui nescit prædicamenta, non intelligit enuntiationes, qui non intelligit enuntiationes, non intelligit definitiones, & divisiones, qui non intelligit definitiones & divisiones, non intelligit methodum & syllogismum, qui hæc

non

non intelligit, non intelligit rem per causam, qui non scit rem
per causam, ille nihil scit. Ergo qui non scit, quid sint univer-
salia realia, ille nihil scit.

XVI.

Uberrima adhuc de universalibus discurrendi seges fuisset,
sed quia hæc ad usum Philosophicum thesi præcedente insi-
nuatū sufficiunt, nolumus huic disceptationi diutius inhærere.

DEUS TRIUNUS SIT BENEDICTUS
IN SECU LA Amen.

PROBLEMATATA PHILOSOPHICA.

LOGICUM.

Prædicabilia vel pauciora sunt, vel plura, quàm quinq.

PHYSICUM.

*Qui materiam primam asserit esse puram putam stultitiam. Ipse se-
metipsum ex purâ putâ Stultitiâ compositum esse, fateatur, necesse est.*

ETHICUM.

Aristoteles in Ethicis nihil statuit sanæ Theologiæ contrarium.

POLITICUM.

*Lex Politica devians à principiis Ethicis non est bona & iusta simplici-
ter & absolute, sed tantum secundum quid.*

OECONOMICUM.

Qui sibi & suis divitias injustè acquirit, malus est œconomus.

METAPHYSICUM.

Nulla dantur entia rationis.

F I N I S.